

mirum & Tetrapolitane intercesisse, ut nulla inter eas Concordia coalescere prius potuerit, quam abiecta Sacramentaria sententia de Cena Domini quatuor illae civitates, nostrae Confessioni subscripserint: id quod annis demum sequentibus 31. & 32. evenisse, modò ex Sleidano satis evidenter fuit demonstratum.

Confessio Tetrapolitana, cum puritate Confessionis Augustanae pugnat.

40. Quid quòd ipse Autor Confessionis Tetrapolitanae Martinus Bucerus, eius sententiam non uno in loco retractavit, & ita retractavit, ut quod in Confessione illa civitatum positum erat, ipse postea Pontificijs noluerit concedere, & disertè fassus fuerit se errasse.

41. Articulo quarto Confessionis civitatum explicandū erat, cuiusmodi fidei justificatio adscribatur: Sed ibi sic scriptum legitur: Nemo justificatur aut vitam æternam consequitur nisi qui summè Deum dilexerit. Quin imò toto isto articulo Meriti Christi nullafit mentio.

42. Hic vos obsecro Sacramentarij omnes ingenij vestri nervos intendite, & elaborate, num in nostrâ, hoc est Principum Confessione, tale quippiam reperiri possit. Hoc si planum feceritis, causâ sponte cadam: sin minus, uti certè hoc in æternum comprobare non poteritis, vestri fuerit candoris, (si modò quis vobis superest) aperta mendacia vel tandem palàm revocare & detestari, ac nobiscum ingenuè fateri, duas istas Confessiones ab inuicem *dis dià πασῶν* distare.

Buce.